



**R.P. Petri Leurenii Societatis Jesu, SS. Theologiæ  
Doctoris, & SS. Canonum Professoris Vicarius Episcopalis,  
Sive Tractatus Quaternarius Per Quæstiones & Responsa  
Canonica Deductus**

**Leuren, Peter**

**Coloniae Agrippinae, 1708**

33. An Episcopus creare possit plures Vicarios foraneos & speciales in diversis diæcessis partibus.
- 

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74203](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-74203)

## Cap. I. De Vicarii nomine, definitione,

eo minus principio, quod Vicarius constitutus extra locum habitationis & Sedis Episcopi non sit generalis, & quod Vicarius constitutus in loco Sedis Episcopalis censetur generalis pro utraque Diœcœsi.) Cardinalis de Luca ad Trident. d. 4. num. 7. ubi: si fuerint plures Diœceses quæ principaliter unita, tunc in quacunque unius earum parte residendo sua obligationi satisficiat, ibique tribunal erectum pro utraque recte habet cum unico Vicario generali, absque aliqua necessitate retinendi duo tribunalia distincta, duosque Vicarios generales habendi. Item Carolus de Luca num. 1. in observatione Ventr. Tom. 2. anno. 14. §. 1. ubi, quod non tenetur habere duo tribunalia ac duos Vicarios, nisi obstat centenaria consuetudo; adeoque subditus unius Diœcœsis evocari possint ad locum residentiam Episcopi in altera Diœcœsi.

2. Contrarium tamen censere videtur Pignat. ro. 4. consult. 32. num. 1. ubi, quod Episcopus pro causis Diœcœsanorum unius Diœcœsis (dum duæ Diœceses seu Cathédrales unitæ sunt, de his enim loquitur) debeat deputare Vicarium generalem in illa Diœcœsi. Causam etiam addit. num. 2. (quam eandem etiam tangit Pax Jord. loc. cit. num. 40.) nempe, quod licet respectu Episcopi sit una Diœcœsis, respectu tamen Ecclesiæ duas sunt, & negotia unius non confundantur cum alia. Expressius verò tom. 9. consult. 135. num. 3. ubi, quod Episcopus uitarum inter se Diœcœsium in ea, à qua Episcopus abest residens in alia, debeat deputare Vicarium generalem, dum duæ Diœceses sunt æquè principaliter unitæ inter se, quælibet conservet sua iura & privilegia, propriisque regatur Legibus, eisque judicari debeat à suis Judicibus, prout declaratum ait à S. Congregat. Concil. in Vulvensi & Sulmon. 3. sept. 1650. Item ne subditi istius Diœcœsis magno suo incommmodo tenerentur curare administrari sibi Justitiam in alieno territorio. Unde jam à fortiore sequitur, Episcopum possidente duas Diœceses non unitas inter se, teneri in ea saltem, in qua non resideret, constituere Vicarium generale, & alium quoque in ea, in qua resideret, si nec ibi solus administrare possit omnia.

3. Quod si verò duarum istarum Diœcœsium una alteri unita esset accessoriæ, tantum procedere potest prima sententia, nimis opus non esse duplice Vicario generali; eo quod tunc iura & privilegia Diœcœsis accessoriæ unitæ transiissent in alteram, cui unita, & consurgat jam ex utraque una: sicut dicitur de duobus beneficiis, quorum unum accessoriæ unitum alteri efficitur hujus veluti prædium.

*Quæstio 32. Num ob amplitudinem nimirum Diœcœsis cogi posset Episcopus ad constitendum duos Vicarios generales?*

R Espondeo negativè: Ita à fortiore sentire videatur Card. de Luca, & Carol. de Luca loc. cit. atque, qui nequidem id admittunt, dum duo Episcopatus inter se æquè principaliter uniti possidentur ab Episcopo. Et certè si verum est, quod tradunt idem cum aliis, solum illum dicendum Vicarium generalem pro tota Diœcœsi, qui Episcopo in civitate illius residentiali assistit, patet esse contradictionem in adjecto, nempe constitui unum in dicta civitate, & alium in alia quadam parte Diœcœsis, et si in solidum cum priore. Sed & praescindendo ab hoc, & dato, talem aliquem constitutum in alia parte Diœcœsis posse esse quoque generalem cum alio constituto in civitate, adhuc cogi nequit Episcopus ad constitendum duos, tametsi ob dictam Diœcœsis amplitudinem ratione magna-

distantia, asperitasque viarum maximum subditorum resularet incommodeum, si in causis suis tam civilibus quam criminalibus cogantur accedere ad locum tribunalis & residentiae Episcopi, ejusve ei assistentis Vicarii generalis, & vel hinc æquitatè consonerit constitui plures in diversis partibus Diœcœsis Vicarios generales in eo sensu, quod ad universitatem caufarum delegati sint; adhuc tamen de jure postulare nequeunt dicti subditi à tribunali Episcopi remoti, ut à proprio tali Vicario seu Officiali apud se degente judicentur. Carol. de Luca loc. cit. n. 2. dicens, opinionem contrariam magis communiter reprobatam per Abbat. & alios collectos per Barbos. de potest. Episc. allegat. § 4. num. 27. & Rotam decis. § 37. n. 10. p. 4. recent. tom. 3. Item Card. de Luca loc. cit. num. 6. ubi: De jure non sufficit aliquorum Diœcœsanorum (intellige, etiam tanta viarum longinquitate & asperitate à residentia Episcopi junctorum) pretensis, quod non possint extra propriae lares trahi, quodque ibi à proprio & particuliari Vicario eorum causa debeat cognoscit. Sed ad summum dictam subditorum necessitatem urgere ad deputandos plures Vicarios foraneos & particulares pro levium & minorum causatum cognitione, ne pro illis subditi magnum & incongruum illud incommodeum adest, tribunal Episcopi pati cogantur, ait Carl. de Luca loc. cit. num. 3.

*Quæstio 33. An Episcopus creare possit plures Vicarios foraneos & speciales in diversis Diœcœsis partibus?*

R Espondeo: Posse Episcopum plures Vicarios foraneos seu speciales in diversis Diœcœsis partibus vel ad certos actus seu causas v.g. matrimoniales constituere, habet communis. Pirh. cit. n. 29. Sbroz. 4. 1. q. 50. n. 4. quin & posse Episcopum sibi Vicarium constitueri in qualibet Diœcœsis parte, vel particulari loco tradit. Sbroz. l. 1. q. 47. ex Gemin. m. c. cum Episcop. num. 7. de off. ordinat. in 6. qui tamen id limitat: Nisi in illa parte adsit Archidiaconus, habens ex consuetudine jurisdictionem privative. Num verò Episcopus deputare possit Vicarium speciale ad conferenda beneficia, dicetur infra. Vide tantisper Sbroz. l. 1. q. 52. per tot.

*Quæstio 34. Dum duo constituti Vicarie seu officiales æquè principales & in solidum, cu[m] coniuncte censemur delegationes Apostolicæ?*

R Espondeo: Dum nullus in iis designatur in rescripto delegationis, nec constat, de quo illorum senatur Papa, sive rescriptum, sit contentum seu ad lites, sive fit gratiosum, v.g. dispensationis facienda, beneficiorum conferendi, &c. Validum erit, & non reddetur delegatio nulla. Barbos. Jnr. Eccl. l. 1. c. 15. num. 3. Pirh. loc. cit. num. 30. citantes Sanch. de matrim. l. 8. d. 27. num. 32. Neque obstar, quod rescriptum delegationis propter incertitudinem vitetur, adeoque ad Papam rescribendum sit, ut novam commissionem faciat. c. ad hoc. de rescr. Verum enim id est, quando Judex omnino incertus datus est, secus si ex certis incertus sit delegatus. Pirh. loc. cit. ex Sanchez. loc. cit. Hoc supposito,

2. Respondeo ad questionem primò. In rescripto gratia ille ex istis duobus Vicariis erit Judex seu delegatus, cui illud ab impetrante fuent præsentatum; et quod in illo casu & rescripto de nullius alterius præjudicio agitur, nihilque in eo continetur, de quo inter partes agitur, sicut contingit in re-